DE

ABOLITIONE PASCHALI

MAXIME DE QUAESTIONE

UTRUM ILLA REVERA ABOLITIO SENSU ROMANORUM AN POTIUS VERA AGGRATIATIO FUERIT.

Carolus Lueder

DE
ABOLITIONE PASCHALI

MAXIME DE QUAESTIONE UTRUM ILLA REVERA ABOLITIO SENSU ROMANORUM AN POTIUS VERA AGGRATIATIO FUERIT.

COMMENTATIO

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRIS JURECONSULTORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD VENIAM DOCENDI

RITE IMPETRANDAM

DIE XVI M. OCTOBR. A. MDCCCLXI

H. L. Q. S.

ASSUMPTO AD RESPONDENDUM SOCIO

RUDOLFO MICHAELIS



STUD

PUBLICE DEFENDET

CAROLUS LUEDER

J. U. D.

CONTRA ADVERSARIOS:

C. COLBERG JUR. UTR. DR. JUD. REG. ASS. PRIV. DOC.
R. LEISSRING JUD. REG. ASS.
TH. JACOB JUD. REG. REF.

LIPSIAE, MDCCCLXI.



VIRO AMICISSIMO


SOCIO ACADEMICO OPTIMO

THEODORO MITHOFF


GOTTINGENSI

D. D. D.

AUCTOR.



INDEX.



§. I.

Prooemium.

De natura atque notione abolitionis Romanae quum antea per longum temporis spatium non solum dubitationis multum relictum fuisset, vero etiam errores animos subiissent [a], nuper tandem, maxime per *Aemilium Herrmannum* [b], factum est, ut lucis satis afferretur.

Antea enim abolitionis Romanae varia genera quum et inter se et cum abolitione Germanica confusa fuerint, quae quidem eodem nomine utitur, re autem sive indole atque natura ab illa multum differt, hoc *Herrmanno* concedendum est, abolitionis Romanae notionem acute atque clare eum exposuisse necnon hoc, quaenam necessitudo ac quidnam discriminis ei cum Germanica abolitione intercederet, quam vernaculo sermone »Niederschlagung« vocamus. Neque tamen secius concesso eo, virum illum doctissimum de jurisprudentia egregie eo meruisse, quod fontium exploratione atque interpretatione abolitionis Romanae notionem arctioribus finibus circumscripserit, ita ut fere omnes scriptores [c]) de ea prorsus nunc consentiant, singula tamen relicta sunt,

---

a) Cf. exempli gratia *Engavium*, de abolit. Jenae 1754; *Püttmanni* adversariorum juris universi librum primum, Lipsiae 1775, cap. 5. Necnon libros ea de re a *Mauritio*, *Brunquello* ceteris conscriptos afferre juvat, quos *Boehmerus*, Handbuch der Litteratur des Criminalrechts, Goetting. 1816 p. 638 sq. enumerat. *Segerus* tamen, de abolitione vetere et hodierna, Lipsiae 1778, ulterius progressus cum *Herrmanno* aliqua ex parte comparari posse videtur.

b) *Herrmannus*, de abolitionibus criminum ex sententia juris Romani, Lips. 1834, priscos illos atque inveteratos errores primus notavit ac simul emendavit. Quem quum scriptores posteriores uti *Rein*, das Criminalrecht der Roemer von Romulus bis auf Justinian, Leipzig 1844, *Geib*, Geschichte des roemischen Criminalprocesses bis zum Tode Justinians, Leipzig, 1842, cett. sequuti sint, me quoque, si parva componere magnis licet, profiteor in summa cum eo consentire; cf. libellum ea de re a me conscriptum, das Souveraenetäts-Recht der Begnadigung, Leipzig, 1860 p. 18 seqq.

c) E recentioribus scriptoribus enim *Burchardius*, Lehre von der Wiedereinsetzung in den vorigen Stand, Goetting. 1831 p. 19, solus ab eo recedit. *Herrmannus* ipse autem l. c. p. 14 seqq. eum prorsus refutavit.

de quibus dubitatio nos subit, annon disputatio de iis oriri sive lucis plus iis afferri possit. Quae quidem propterea, quod non ad proponendam abolitionis Romanae notionem atque indolem pertinent, sed notione illa semel exposita secundarias res tantummodo, ut ita dicam, tangunt, minoris momenti sunt, quod me non fugit; aliqua tamen auctoritas iis jam ea de causa non deneganda esse videtur, quod exposita ea quaestione, in qua causa vertitur, disputatio de secundariis quoque rebus desideratur. Itaque vel propter subtilitatem atque accurationem in doctrina quam maxime necessariam illa non praetermittenda erunt; praeterea autem etiam ad comprobanda atque confirmanda principia aliquid ea valere, postea videbimus.

Quorum ex numero quaestio est, abolitio paschalis, quae vocatur, utrum cum abolitione Romana conveniat, annon vera aggratiatio potius fuerit. Qua de quaestione quum agere nobis propositum sit, e re erit, priusquam ad eam quaestionem accedamus, duo illa genera, quorum utri paschalem abolitionem adnumeremus, dubium videtur, breviter interpretari, i. e. abolitionem Romanam et aggratiationem sensu proprio ejusque speciem, abolitionem sensu hodierno.

Primum igitur hoc agendum est, ut videamus, quaenam illis necessitudo et quidnam discriminis inter eas intercedat.

§. II.

Notio Romanae et quae nunc est abolitionis et aggratiationis in universum, et quidnam inter illas intercedat discriminis.

Nostra aetate abolitio, quam »Niederschlagung« vernaculo sermone vocamus, aggratiationis species est et ea quidem aggratiationis species, quae ante sententiam latam reo contingit. Aggratiatio autem est, qua criminis poena aliive criminis effectus aut omnino aut particulatim a principe tolluntur ac simul causa, de qua agitur, in sempiternum finitur[a]). Abolitione igitur sensu hodierno aut quaestio de crimine instituta opprimitur, aut ante quaestionem institutam fit, ut princeps quaestionem instituere judices vetet, ita ut processus criminalis ea de re jam non amplius fieri queat; namque abolitio postquam concessa est, ex oppresso illo crimine quaestionem denuo instituere non licet.

a) Cf. libellum a me conscriptum supra citatum p. 1 seqq.

Aggratiationis ea species quando atque omnino num jure concedenda sit, leges recentiores quidnam de ea constituant, quidnam ex ea sequatur, ad ea respondere et longum et a nostro fine alienum videtur [b]); nos nunc nihil agimus praeter hoc, ut abolitionis hodiernae notionem exponamus eamque cum abolitione Romana comparemus.

Sensu juris Romani autem abolitio est, qua quaestio certi criminis causa instituta tollitur, ita vero, ut postea in reum propter idem illud crimen denuo semper agere liceat. Ab aggratiatione igitur prorsus aliena est. Aggratiatio quidem Romanis non ignota fuit neque ea species, quam abolitionem nos nunc vocamus, qua instituta quaestio in sempiternum opprimitur [c]); indulgentiam [d]) vero sive veniam [e]) potius eam vocabant; abolitionis autem voce tantum certo sensu utebantur, de quo postea videbimus. Omisso igitur eo, quod abolitio apud Romanos aeque atque apud nos gratia s e n s u l a t i s s i m o est, quae reo contingit, propterea quod perfecto jure non posci debet [f]), hoc unum tantummodo alteri cum altera intercedit [g]), quod utraque ante sententiam latam reo contingit [h]), quod quidem ex abolitionis notione necessario sequitur. Praeterea altera cum altera nihil commune habet. Nostra enim aetate quum abolitione crimen tollatur aut crimen commissum esse denegetur, ei, qui illud commisit, venia contingit, a poena prorsus liberatur; itaque nemini jam propter crimen illud actionem intendere amplius licet; tum quoque quum dubium non sit, num revera illa crimen commiserit, propterea nulla poena affici potest, quum ne quaestio quidem constitui possit; nihil damni, invidiae nihil ex eo crimine ei oritur; crimen dissimulatur sive crimen commissum esse negatur [i]). In Romana abolitione vero contrarium potius habemus. Apud Romanos enim gratia malefico non contigit; fieri poterat, ut post factam abolitionem de eodem crimine denuo accusaretur, ut quaestio institueretur

---

b) Cf. libellum meum supra citatum §. 17.

c) Cf. *Dionysium* V, 13, 57; *Livium* III, 54; *Suetonium*, Caesar 75; *Plutarchum*, Caesar 37, 57; *Dionem Cassium*, XLVIII, 18, 5 § 8; et quod attinet ad imperatorum aetatem: L. 14 §. 2 Dig. de custod. reorum 48, 3. L. 9 Cod. ad leg. Corn. de fals. 9, 22. Cf. libellum meum p. 36, 45.

d) Cf. codicis locum sub c., citatum.

e) Cf. locum digestorum sub c., citatum.

f) L. 1 §. 10 Dig. ad S. C. Turp. 48, 16: »qualiscumque accusatio illata cognoscentis auctoritate, non accusatoris voluntate aboleri debet.« Cf. *Herrmannum*, l. c. p. 39 seqq.

g) Neque respectu habito personae aggratiantis altera cum altera comparari potest. Apud nos enim solus princeps gratiam reo largitur, apud Romanos senatus quoque haud minus quam judex.

h) Jam vero hoc discriminis tunc quoque oritur, quod abolitio sensu Romano post institutam quaestionem tantum, abolitio sensu hodierno contra ante et post institutam quaestionem concedi potest.

i) Cf. librum meum supra citatum §§. 14, 17.

et poena nocens afficeretur; damni igitur atque invidiae, quae ex crimine commisso oriebatur, nihil apud Romanos tollebatur. Altera abolitione crimen ipsum, instituta quaestio tantummodo altera tollitur; altera fit, ut nocens a poena ipsa liberetur, altera contra, ut processus tantum interim finiatur; ne longi simus, altera ad crimen, ad institutam quaestionem altera pertinet. Sin autem quaeris, abolitio Romana quidnam tunc omnino valuerit, quidnam ex ea secutum sit, sane quidem nihil effecit praeter hoc, ut instituta quaestio finiretur sive rejiceretur, quo facto etiam post concessam abolitionem fieri poterat, ut maleficus de eodem crimine denuo accusaretur; quodquum ei non accideret, id non propter abolitionem, sed propterea factum est, quod accusare nemini placuit sive accusator non in medium prodiit. Maleficum vero accusare etiam post factam abolitionem semper licuit. De singulis autem abolitionis Romanae generibus uberius nunc scribere, quaenam eorum natura fuerit et quomodo orta sint, non opus est, quod jam Herrmannus l. c. de ea re egit nosque ipsi in libello nostro citato, res quomodo se habeat, exposuimus.

Nostrum nunc est, trium abolitionis Romanae generum notionem paucis exponere, unde facile apparebit, nihilo illa cum ea, quae apud nos nunc viget, contineri.

§. III.

De singulis abolitionis Romanae generibus.

Tria abolitionis genera, quae ex processus criminalis Romani natura sequuntur, haec sunt: abolitio privata, abolitio ex lege, abolitio publica sive generalis.

Ac primum quidem quod attinet ad abolitionem privatam [a]), accusatori concedebatur, qui per errorem accusationem se instituisse intelligens ab ea recedere studuit, et quidem cum in finem ei contigit, ut a tergiversationis poena liberaretur [b]). Per certum temporis spatium autem alii accusatori accusationem denuo instituere licuit.

Itaque cum proprio atque peculiari processus criminalis Romani natura atque indole arctissime illa connexa est, ita ut ex ea potissimum oriretur, unde simul apparet, nostra aetate et in nostro processu criminali privatam illam abolitionem locum obtinere non posse, ita ut ei, quae apud nos nunc viget, abolitioni cum Romana illa jam nihil necessitudinis intercedat.

---

a) Cf. *Herrmannum*, l. c. p. 18 sqq.; libellum meum, p. 26 sqq.

b) L. 2 Cod. de abol. 9, 42. L. 15 pr. Dig. de jur. fisci 49, 14.

Tum vero in secunda specie abolitionis Romanae res non aliter se habet, i. e. in abolitione ex lege [c]), quae accusato petenti concedebatur, quod accusator ante finitam quaestionem mortuus erat sive alia de causa a coepto processu recesserat. Per triginta dierum spatium autem denuo accusatio institui poterat [d]). Ejusmodi quoque abolitionem nostra aetate et in nostro processu criminali reis contingere non posse, non est, cur uberius nunc comprobemus.

Deinde tertia abolitionis species, i. e. abolitio generalis sive publica [e]), quae quidem antiquissima est, in eo constitit, ut propter supplicationes [f]) et lectisternia [g]) reorum vincula solverentur, postea ut propter aliquam laetitiam publicam [h]) eorum nomina ex publicis commentariis exstinguerentur, ita tamen, ut per triginta dierum spatium eos denuo accusare liceret [i]). Neque hoc nostris temporibus locum obtinere posse, satis constat.

Quibus obiter praemissis jam apparet, multum discriminis interesse inter veterem illam Romanorum et nostram abolitionem. Nunc vero ad id, quod nobis propositum est, progrediamur.

§. IV.

Abolitio paschalis, quae vocatur. Loci Codicis Theodosiani et Justinianei, qui ad eam pertinent. Scriptores recentiores quid de ea statuant.

Festo paschali rei ex carcere dimittebantur; quaeritur autem, ea dimissione utrum gratia iis contigerit, an instituta quaestio tantum finita sit, qua de causa dubium videtur, utrum abolitionis, — quod saepissime fit, — an potius aggratiationis paschalis nomen ei tribuendum sit, de quo nunc agendum est.

---

c) Cf. *Herrmannum*, l. c. p. 78 sqq.; libellum meum p. 24 sqq.

d) L. 3 § 4 Dig. de accus. et inscript. 48, 2.

e) Cf. *Herrmannum*, l. c. p. 59 sqq.; libellum meum p. 18 sqq.

f) Cf. *Livium*, III, 7, 63; V, 23; VII, 28; X. 21, 23, 47; XXI, 17, 62, XXII, 1, 10; XXIV, 10, 11; XXV, 7; XXVII, 4, 7, 11, 23, 37, 51; XXIX, 14; XXX, 1, 17, 21, 40; XXXI, 8, 9; XXXII, 1, 9, 31; XXXIII, 24; XXXIV, 21, 42; XXXV, 21; XXXVI, 21; XXXVIII, 36, 44; XXXIX, 56; XL, 2, 19, 28, 37; XLI, 26; XLV, 2, 3; CXIX, 29; *Cicero*. Philipp. XIV, 14; *Sallust.*, Jugurtha LV.

g) *Livius*, V, 13; VII, 2, 27; VIII, 25; XXI, 62; XXII, 1, 10; XXIX, 14; XL, 30.

h) L. 8, 9, 12 Dig. ad S. C. Turp. 48, 16.

i) L. 10 § 2, L. 15 § 6. Dig. ad S. C. Turp. 48, 16.

Diebus insignibus sive publicae laetitiae gratia quum antiquitus reis abolitio concederetur, postea quoque sacris christianis susceptis Romani festum paschale simili modo prosecuti sunt, et quidem Valentinianus I anno 367 p. Chr. n.[a]) festo paschali reos ex carceribus dimitti primus jussit. Proximis annis dimissio illa ad imperatorum arbitrium neque semper reis concessa est; Valentinianus II autem anno 385 post Chr. n.[b]) reos festo paschali quotannis ex vinculis liberari jussit, etiam quum edictum imperatoris non ederetur.

Reos ex carcere saepius dimissos esse, jam antea vidimus; recte tamen miramur, quod illud quotannis et semel antea constituto tempore factum sit, quippe quo maleficis impunitas concederetur et legum auctoritas et sanctitas tolleretur. Neque res aliter se habet, quum non gratiam, sed abolitionem sensu juris Romani reis contigisse censeamus. Nam tunc quoque summum periculum reipublicae necessario allatum est, quum fieri posset, ut malefici fuga poenae se eriperent. Injuria tamen ea dubitatio nos subit aut saltem eo multum minuitur, quod omnes, qui propter graviora crimina sive propterea in vincula conjecti erant, quod idem crimen iterum commiserant, de ea abolitione eximebantur[c]); imo abolitio paschalis non nisi leviorum delictorum reis contigit; pertinebat enim tantum ad nonnulla delicta, quibus honos et patrimonium minuebatur. Abolitio paschalis igitur quum primo adspectu tam ingens videatur, ut summum periculum reipublicae ex ea oriatur, delictorum numero et natura, propter quae concessa est, arctissimis finibus continetur et nomine tantum terret[d]). Quod ut comprobemus, fontes ipsi quidnam nos de ea doceant, addere liceat. Quod attinet ad compilationem Justinianeam, unum tantum locum in ea habemus, qui de abolitione paschali agit[e]), scilicet L. 3 Cod. de episc. aut. 1, 4, quo haec leguntur: »Nemo deinceps tardiores fortassis affatus nostrae perennitatis exspectet; exsequantur judices, quod indulgere consuevimus; ubi primum dies paschalis

a) L. 3 Cod. Theod. de indulg. crim. 9, 38; cf. notam g., hujus paragraphi.

b) L. 8 Cod. Theod. de indulg. crim.

c) Cf. locos Cod. Theodosiani et Justinianei, qui postea in textu afferuntur, maxime L. 7 Cod. Theod. de indulg. crim.: »— qui leviore crimine rei sunt postulati«. Cf. praeterea *Gothofredus* quomodo L. 8 cod. interpretetur: »reliqui omnes, quos minorum causarum culpa constringit, diebus venerabilibus Paschae specialiter aboleantur«.

d) Cf. *Geibium,* l. c. p. 574; »ein grosser Name fuer eine kleine Sache«.

e) Legibus de abolitione enim, quae antea conscriptae sunt, — praeter hanc L. 3, — singula abolitio tantum semel largienda constituta est, quod *Herrmannus,* l. c. p. 15, 63 recte exponit, qua de causa illae in Codicem Justinianeum non receptae sunt.

exstiterit, nullum teneat carcer inclusum, omnium vincula dissolvantur. Sed ab his secernimus eos, a quibus contaminari potius gaudia laetitiamque communem si dimittantur, animadvertimus. Quis enim sacrilego diebus sanctis indulgeat? quis adultero, vel stupri incestive reo tempore castitatis ignoscat? quis non raptorem virginis in summa quiete et gaudio communi persequatur instantius? Nullam accipiat requiem vinculorum, qui quiescere sepultos quadam sceleris immanitate non sinit; patiatur tormenta veneficus, maleficus, adulter violatorque monetae; homicida parricidaque, quod fecit, semper exspectet; reus etiam majestatis de domino, adversus quem talia molitus est, veniam sperare non debet. His ergo, tali sub adstrictione damnatis, indultum nostrae serenitatis eo praecepti fine concludimus, ut remissionem veniae crimina nisi semel commissa non habeant, nec in eos liberalitatis Augustae referatur humanitas, qui impunitatem veteris admissi non emendationi potius, quam consuetudini deputarunt.«

Ea verba ex Codice Theodosiano sumta sunt [f]), in quo Lib. 9 Tit. 38 quinque hae leges leguntur, quae de abolitione paschali agunt:

L. 3: »Ob diem Paschae (quem intimo corde celebramus) omnibus, quos reatus adstringit, carcer inclusit, claustra dissolvimus —« [g]); L. 4: »Paschae celebritas postulat, ut quoscunque nunc aegra exspectatio quaestionis poenaeque formido sollicitat, absolvamus —« [h]); L. 6: »Paschalis laetitiae dies ne illa quidem tenere sinit ingenia, quae flagitia fecerunt: pateat insuetis horridus carcer aliquando luminibus —« [h]); L. 7: »Religio anniversariae obsecrationis hortatur, ut omnes omnino periculo carceris metuque poenarum eximi juberemus —« [h]); L. 8. Qua quum nihil contineatur, quod non lege 3 Cod. de episc. aud. 1, 4 supra addita subsit, eam quoque addere longum est.

Loci illi quum quaeramus, utrum de abolitione an de aggratiatione agant, non injuria miramur, quod omnibus illis locis neque abolitionis vox in legibus Romanis usitatissima umquam legitur, neque aliud quidquam habemus, in quo aliqua significatio abolitionis apparet. Quin imo abolitio Romana nisi aliunde innotuisset

f) Cf. L. 6 i. f., 7 Cod. Theod. de indulg. crim.

g) Ea quidem antiquissima abolitio paschalis est, a Valentiniano Sen. jussa, dat. III Non. Maii, Lupicio et Joviano Coss. a. 367. Verba, quae sub finem leguntur, non addita sunt. Agunt enim de iis, qui non dimittendi erant; exceptiones autem non est, cur post additam L. 3 Cod. de episc. aud. 1, 4 uberius enumeremus.

h) Sequentibus verbis exceptiones enumerantur.

eique a viris doctis antea parum auctoritatis et diligentiae concessum esset, a quo errore tempore recentiore tandem reversum est, non facile quis locos illos aliter atque de aggratiatione interpretaturus esset. Cui hoc accedit, quod Codicis ille locus non in titulo Codicis legitur, qui de abolitione agit [i]); neque in Codice Theodosiano loci illi in titulo leguntur, qui de abolitionibus agit [k]), sed in eo potius, qui »de indulgentiis criminum« inscriptus est, qua de causa, maxime Gothofredi commentariis et paratitlis additis [l]), dubitatio sane quidem nos subit, dimissioni reorum illi, quae festo paschali fieri solebat, utrum abolitionis nomen recte tribuendum sit, annon vera aggratiatio potius illa fuerit, ita ut abolitionis Romanae notione diligenter exposita nomine »abolitionis« paschalis non amplius uti debeamus, ne denuo in errores inducamur.

Et revera singuli ex recentioribus scriptoribus abolitionem paschalem, quae vocatur, abolitionem sensu juris Romani fuisse negantes aggratiationi eam adnumerant [m]). Alii contra et quidem ii, quibus summa auctoritas in exponendo jure et processu criminali Romano conceditur, *Reinius* [n]) et *Geibius* [o]), nimis prudenter de ea re agunt neque diserte, quidnam ipsis videatur, profitentur. *Herrmannus* [p]) contra abolitionem paschalem, quae vocatur, et nomine et re atque natura abolitionibus Romanis adnumerandam esse, pro certo habet. Nosquidem bene intelligentes, *Herrmannum* egregie

---

i) Hoc sane quidem nos non fugit, interdum fieri, ut singulae leges alio transferantur sive sub titulo legantur, a quo alienae potius sunt, neque ad interpretationem aliquid illud valere. Neque tamen secius illud insigne est, ita ut, aliis accedentibus, etiam ad interpretationem verborum locus, quo legantur, aliquid faciat.

k) L. IX, T. 37.

l) Cf. p. 290—308 Cod. Theod. cum perpetuis commentariis *Jacobi Gothofredi* (1738. Weidmann.).

m) Cf. *Plochmann.*, l. c. p. 14 sub nota 12, coll. p. 13 not. 9. *Vollgraff.*, Vermischte Abhandlungen, Marburg. 1823., tom II p. 29, 32 not. 2 eo usque procedit, ut Romanos doceat abolitionis voce gratiam latissimo sensu reddidisse. *Gans.*, das Erb-Recht in weltgeschichtlicher Entwicklung, Stuttgart. et Tubing. 1829 tom. III p. 13 sq. doctrinam de aggratiatione tandem per Constantinum M. in jure Romano locum obtinuisse profitetur, et quidem indulgentia propter partum Crispi et Helenae concessa, quam *Herrmannus* contra, l. c. p. 65 abolitionem esse persuasum habet; cf. L. 1 Cod. Theod. de indulg. crim., cujus singula verba sequente paragrapho adduntur. *Gans.* omnino ad eos potissimum Codicis Theod. locos, quos *Herrmannus* de abolitione interpretatur, p. 13 provocat iisque comprobare studet, ex festo paschali tanquam *βασιλίσση τῶν ἡμερῶν ἡμέρᾳ* veram aggratiationem originem sumsisse.

n) Cf. l. c. p. 272. 274.

o) Cf. quae l. c. p. 572. 573 et in notis ibid. leguntur.

p) Cf. p. 63.

meruisse de exponenda abolitionis Romanae notione, maxime eo, quod inveteratos errores permultos convicit, nihil tamen secius, quod attinet ad abolitionem paschalem. quae vocatur, ab eo omnino dissentimus. et fontes et scriptorum opiniones ea de re diligenter perscrutati contrarium potius proponimus. *Herrmannus* igitur opinionem suam quomodo fulserit, primum videamus, deinde vero altera illa curnam praestare nobis videatur addere liceat.

§. V.

Herrmanni expositio.

Abolitionem paschalem veram abolitionem sensu Romano fuisse, *Herrmannus* eo potissimum comprobare studet, quod indulgentiae voce ad significandas certas abolitionis species Romanos usos esse contendit. Eo enim modo in rubr. Tit. Cod. Theod. de indulg. crim. [a]) et in L. 17 Cod. ad S. C. Turp. 48, 16 [b]) eam vocem interpretandam esse et publicam abolitionem indulgentiae voce contineri censet [c]). Argumenta tamen, quibus ea interpretatio comprobetur, omnino desiderantur, nisi quod rem ita se habere *Herrmannus* affirmat; neque p. 16. libri illius, quo loco argumentationem exponere voluisse videtur, argumenta satis exponuntur. Affirmando autem res non absolvitur, nisi in ejus verba jurare placet; neque vero vel tum illud licet, quum aliis locis quaestionem egregie exposuisse eumque optime meruisse de exponenda abolitionis Romanae notione inter omnes constet; qua de causa sane quidem concedendum erit, in ea controversiae parte *Herrmannus* minus contigisse, ut lucis satis afferret remque ita exponeret, ut dubitationis nihil relinqueretur.

Imo *Herrmannum* postea videbimus Codicis Theodosiani locum illum, ad quem provocat, injuria ita interpretari, ut indulgentiae voci abolitionis notionem tribuat; antea vero de eo loco compilationis Justinianeae, quem solum *Herrmannus* profert, quidnam judicandum sit videamus. Locus ille, L. 17 Dig. ad S. C. Turp. 48, 16, hisce verbis conscriptus est: »Lucius Titius Seium reum falsi fecit, et priusquam persequeretur, i n d u l g e n t i a r e o r u m c r i m i n a a b o l i t a s u n t; quaero, si postea eum iterato reum non fecerit, an in Turpillianum Senatusconsultum inciderit. Heren-

a) *Herrm.*, l. c. p. 5, 6, 14, 16.

b) *Herrm.*, l. c. p. 5.

c) *Herrm.*, l. c. p. 6.

nius Modestinus respondit, **abolitionem reorum, quae publice indulgetur,** ad hoc genus criminis non pertinere.« Verba ea quidnam sibi velint, ex iis apparet, quae antea de origine S. Consulti Turpilliani et de fine, in quem prolatum est, vidimus: quaeritur, num is poena a S. C. Turpilliano tergiversatoribus constituta afficiendus sit, qui coeptam quaestionem propterea ad finem usque non perduxit, quod reo abolitio generalis contigit. De abolitione publica igitur eo loco agitur, quae si indulgentiae voce reddatur, *Herrmanno* assentiendum foret. Neque vero res ita se habet. Abolitio enim, neque indulgentia legitur. »Indulgentia« et »indulgere« verba postea adduntur, quibus favor sive clementia atque gratia sensu latissimo significetur[d]), quae quidem, uti supra vidimus et quod *Herrmannus* ipse concedit, omni abolitioni subest, itaque grati sonus causa adduntur[e]), neque vero propterea, ut abolitionis notio non solum abolitionis, verum etiam indulgentiae voce reddatur. Quodsi indulgentiae vox abolitionis vim nacta esset, non juxta eam poneretur neque cum ea conjungeretur, sed ejus locum teneret et sola sine dubio legeretur. In fontibus quoque indulgentiae vox, ubi sola legitur, gratiae speciem significat[f]); ubi cum aliis vocibus conjuncta legitur, favoris potius, clementiae, gratiae vis sensu latissimo ei subest. Neque illo loco neque umquam res aliter se habet. *Herrmannus* autem contrarium potius docet; interpretatur enim indulgentiam de certis abolitionis speciebus[g]), quod nullo modo fieri potest. Praeterea tum quoque, quum indulgentiae vocem abolitionis speciem significare *Herrmannus* demonstrasset, alterum illud desideratur, gratiam festo paschali reis concessam abolitionem sensu Romano fuisse, iis igitur locis potissimum, quibus de ea agitur, indulgentiae vocem abolitionis sensu legi[h]), id est in L. 3 Cod. de episc. aud., ad quam antea provocatum est, et aliis locis ex Lib. IX Tit. 38 Cod. Theod. supra allatis, quod *Herrmannus* neque p. 16 libri illius neque alio loco comprobavit, qua de causa recte se illud statuisse nobis non persuasit.

Neque aliter res se habet, quod attinet ad L. 1 Cod. Theod. de indulg. crim., quae de dimissione paschali non agit. Eo loco haec verba leguntur: „Propter Crispi atque Helenae partum omnibus indulgemus, praeter veneficos, homicidas, adulteros.“

d) Cf. *B. Brissonium*, de Verb. Signif. verb. »indulgentia« et »indulgere«.

e) *Herrm.*, l. c. p. 65.

f) Cf. *Plochmann.*, l. c. p. 13 n. 9; *Brissonium*, l. c.

g) l. c. p. 5.

h) Indulgentiam enim et abolitionem idem semper significare, *Herrmannus* ipse negat, cf. l. c. p. 64.

Iis quoque verbis abolitionem subesse, »indulgere« igitur vocem sensu abolitionis neque aggratiationis accipiendam esse *Herrmannus* censet [i]). Injuria tamen causam illam leviorem atque nimis exiguam [k]) habet, ex qua gratia concedatur, neque scriptores, ad quos provocat, etsi „tantum de vinculis reorum ob ejusdem laetitiam solutis loquantur", cum *Herrmanno* faciunt, quippe qui, quum verum atque genuinum sensum verborum spectemus, quaestione in sempiternum oppressa reos dimissos esse affirment [l]).

Sin autem duo et quidem varia gratiae genera in Tit. 38 Lib. 9 Cod. Theod. misceri *Herrmannus* ait [m]), ita ut in L. 1; 3, 4, 6, 7, 8 — prima illa lex paullo ante prolata est, quinque ceteris locis de abolitione paschali agitur, quos pariter ante addidimus — indulgentiae vox abolitioni, in ceteris legibus 2, 5, 9, 10, 11, 12 aggratiationi respondeat, id quoque quomodo demonstrari possit, non facile intelligitur; docet enim *Herrmannus* rem ita se habere, neque vero argumenta exponit, quibus opinionem suam a dubitationibus nostris defendat [n]).

Quae quum reputemus eaque memoria teneamus, quae priore paragrapho exposita sunt, salva ejus auctoritate dubitatio necessario nos subit, num *Herrmanno* assentire debeamus. Praeterea quum veteres necnon recentiores scriptores ad unum fere omnes [o]) ab eo dissentiant, contraria potius sententia praestare videtur.

---

i) l. c. p. 65. Cf. *Gans.* quidnam ea de re censeat, quod antea §. IV. not. m. allatum est.

k) Cf. *Gothofredi* commentar. ad eum locum p. 291 seqq.

l) Cf. *Gothofredi* comment. p. 291 seqq. Ceterum omnes locos, quos *Gothofredus* eo loco — ad quem locum *Herrmannus* p. 65 provocat — enumerat, cognoscere mihi non licuit. Iis autem, quos legi, *Herrmanni* sententiam fulciri, negandum est; cf. praeterea quae nota o. exponuntur.

m) l. c. p. 64.

n) Cf. maxime quae in *Gothofredi* comment. ea de re leguntur.

o) Magnus quidem scriptorum numerus, maxime recentiorum, qui ea de re uberius agunt, non exstat. Cum *Herrmanno* autem recentiores aut omnino non faciunt aut non expressis verbis se cum eo facere profitentur, etsi eum non impugnant, cf. supra §. IV. not. m. Quod ad veteres scriptores attinet, plurimum quidnam de ea quaestione censeant non diserte exponunt. Id tamen non mirandum est, quod priore tempore abolitionis Romanae notio omnino minus clare exposita erat, cf. quae initio §. I leguntur; nostra igitur aetate tantum quaestio orta ad eamque responsum est. Veteres tamen omnes ab *Herrmanno* dissentire videntur, etsi ipse p. 65 aliter de ea re statuit. Cf. exempli gratia, praeter commentarios *Gothofredi*, *B. Brissonium*, Opera minora, ed. *Trekell.*, Lugd. Batav. 1749, p. 241, et de Verb. Sign. I p. 7, 8, 609, 610; *Cujacium* ad Paul. Sent. L. V Tit. 17 § 1 et ad Tit. Cod. de abol.; maxime vero apud eum permulta obscura et falsa de abolitione exponuntur. Neque ab iis secernendus est *Gonzalez Tellez*, ad Lib. V Decretal. Tit. I c. 14 n. 6 (Lugduni 1673, tom 5 p. 31). Glossa contra *Herrmanni* sententia fulciri videtur; sed ne hoc quidem satis intelligendum est. *Alteserrae* librum, quem *Gonz. Tellez* laudat, legere mihi non licuit.

Quam quum nos ipsi amplectamur ejusque patroni atque fautores in medium prodeamus, quidnam de ea judicandum sit, eamque ut argumentis comprobemus, annon nobis contingat, nunc videamus.

§. VI.

Abolitio paschalis, quae vocatur, cur aggratiationi potius adnumeranda sit. Refutatio eorum, quae opponuntur.

Primo adspectu sane quidem in nostra quoque opinione dubitationes relictae esse videntur, num recte ita judicemus. Quaeritur tamen, iis dubitationibus num quid concedendum sit.

Praeter ea, quae apud *Herrmannum* ipsum leguntur, de quibus paragrapho priore egimus, hoc quoque opponi potest, abolitionem tantum, neque gratiam, qua quaestio in sempiternum opprimeretur, festo paschali reis contigisse, quod aggratiatione, quum festo Paschae quotannis reis contigisset, maleficis impunitas concessa et omnis legum sanctitas atque auctoritas sublata sive exstincta esset, ita ut omnia necessario turbarentur atque miscerentur. Carceris enim poena malefico constituta propter gratiam illam anni spatium numquam superabat. Id tamen propterea opponi non potest, quod non omnes malefici festo Paschae ex carcere dimittebantur [a]); omnes enim, qui graviorum criminum accusati sive propterea in vincula conjecti erant, quod idem crimen iterum commiserant, de illa aggratiatione eximebantur; quae quum leviorum delictorum accusatis tantum contingeret, ea reis impunitatem concessam sive rempublicam perturbatam esse negandum est.

Deinde vero alia dubitatio oritur. Paschalis illa dimissio enim, quum aggratiatio neque abolitio ei subsit, a publicis abolitionibus necessario multum differt, imo ab iis aliena est, neque tamen intelligitur, curnam illa tantopere aucta fuerit. Quod ad primam dubitationis ejus partem attinet, omnino concedendum est, gratiam paschalem revera ab abolitione generale multum differre; id enim potissimum nos ipsi docemus. Alteri autem dubitationis parti aliquid concedendum esse, constanter negamus; namque propter festi paschalis sanctitatem legumlatorum maxime intererat, reis

a) L. 3 Cod. de episc. aud. I, 4. L. 3, 4, 6, 7, 8. Cod. Theod. de indulg. crim. IX, 38.

plura concedere quam abolitionibus generalibus, de qua re postea uberius agendum est [b]). Causa enim gratiae paschalis, in summa ejus festi sanctitate posita, abolitionum generalium causas, uti principium regni, imperatorum dies solemnes, publicas laetitias, auspicia consulum auctoritate multum superavit, unde apparet, gratiam quoque ad celebrandum festum paschale reis concessam necessario auctam esse et generales abolitiones superasse, quae interdum ex levissimis atque minutissimis causis, ut propter dies natales imperatorum sive propter auspicia consulum [c]) reis contigebant.

Tum vero quum ad fontes provocore placet, in quibus festo paschale „vincula soluta esse" legimus, ex iis verbis nihil omnino concludi poterit; de temporis spatio enim nihil additur, qua de causa eam vocem latissimo sensu interpretari debebimus, ut nostratium voci „freilassen, aus der Haft entlassen" respondeat. Quaestio enim, utrum in sempiternum oppressa fuerit, an post festum paschale liberatos denuo accusare licuerit, ex illis verbis non apparet; neutra igitur opinio, neque nostra ipsorum, neque adversariorum iis comprobatur [d]). Praeterea vero dubitatio illa denuo oritur, quae jam antea animum subiit [e]), abolitio Romana nisi aliunde innotuisset et recentiore tempore nisi viri docti in ea interpretanda atque exponenda multum operae consumsissent, num ex eo, quod „vincula soluta esse" legimus, quis umquam suspicatus fuerit, e carcere liberatos illos postea iterum accusatos esse, sive verba ea num quis umquam aliter atque sensu aggratiationis acceperit. Cui hoc accedit, quod praeter illa verba, quibus res non absolvitur sive quae quonam modo interpretanda sint, non satis constat, „indulgere" quoque et „venia" voces [f]) illo loco leguntur; neque vero voce „vincula solvere" sola legislator usus est.

Reliquum est, ut de eo videamus, quid judicandum sit, quod ex L. 3 Cod. de gen. abol. IX, 43 nobis opponi posse videtur. Brevissimus enim titulus ille, cui nomen inscriptum est: „de generali abolitione" tres leges paucissimis verbis con-

---

b) cf. §. VIII.

c) Ea potissimum maxime imperatorum aetate inania fere fuisse, ex eo apparet, quod consules ordinarii, qui anni initio creati erant, intra ejusdem anni spatium consulatu se abdicare ab imperatoribus saepius jubebantur, ut dignitas consularis aliis quoque, — consulibus suffectis, — contingeret. Cf. *Puchta,* Cursus der Institutionen, edit. V, tom. I, p. 386.

d) Idem judicandum est de hisce verbis, quae eodem loco leguntur: „Nullum teneat carcer inclusum," quae et de quaestionis oppressione in perpetuum et de dimissione reorum per aliquod temporis spatium intelligere licet.

e) cf. supra p. 9 s. fin., 10 init.

f) Eadem verba et similia quinque illis locis Cod. Theod. quoque leguntur.

scriptas continet, quarum priores duae sine ulla dubitatione de abolitione generali agunt [g]; tertia vero hisce verbis conscripta est: „Indulgentia, patres conscripti, quos liberat, notat, nec infamiam criminis tollit, sed poenae gratiam facit." Iam vero ex iis verbis potissimum apparere videtur, indulgentiae vocem revera abolitionis vim habere; namque Codicis ille titulus, quod ex nomine sequitur, quum de abolitione generali agat, tertia illa lex quoque pariter atque priores duae, quae eo continentur, ad abolitionem necessario pertinet; indulgentia igitur sensu abolitionis accipienda est. Quae quum recte disputata esse videantur, ferenda tamen non sunt. Abolitionis enim vox quum indulgentiae loco ponatur, locus ille his verbis scriptus est: „Abolitio notat, nec infamiam tollit, sed poenae gratiam facit," quod sane non ferendum est. Ex abolitione enim infamia numquam orta est neque oriri potuit; neque poena abolitione concessa remittebatur, quippe quae nondum constituta esset; quin imo abolitio quum reo contingeret, nondum constitit, num crimen, cujus accusatus erat, revera commisisset; fieri poterat, ut innocentia rei prorsus agnosceretur atque innoxius ille absolveretur, itaque abolitio neque damnum sive infamiam comparavit, neque poenae gratiam fecit, unde sequitur, tertiam illam legem non de abolitione agere, sed de indulgentia, et quidem de indulgentia sensu angustiori. Tum vero quaeritur, lex illa quum de indulgentia neque vero de abolitione agat, quomodo factum sit, ut eo loco poneretur, quo leges de abolitione generali enumerantur, uti ex titulo apparet. Hoc autem facile fieri poterat, quod compilatorum errore leges saepius alio loco transferebantur, quod jam supra vidimus [h]). Neque est, cur miremur, quod L. 3 illa eo potissimum loco nunc legatur. Locus enim, quo leges leguntur, quum in aliis interpretandis saepius aliquid facere possit, in nostra interpretanda nihil prorsus valet. In Codice Theodosiano enim, ex quo allata est [i]), non titulo de abolitionibus adnumeratur, sed ei de indulgentiis tribuitur, in quo recte ponitur.

---

g) *Rein.*, l. c. p. 274, sane quidem ad secundam legem illius tituli provocat, ut indulgentiae vocem comprobet — inde ab eo tempore, quo non senatus, sed imperator abolitionem generalem largitus sit, — abolitionis publicae sensu adhiberi. Injuria tamen eum locum profert, quippe quo indulgentiae vox clementiae et favoris vim sensu latissimo habeat, — cf. *Plochmann.*, l. c. p. 13 not. 9; crimen autem quaestioni sive accusationi eo loco respondere, *Rein.* ipse, l. c. p. 93 seqq., 96 seq., dicit.

h) cf. supra §. IV not. i. *Herrmann.*, l. c. p. 15.

i) Est in Cod. Theod. L. 5 de indulg. crim.

§. VII.

Fontes quomodo nostram sententiam comprobent.

Fontes si abolitionem paschalem, quae vocatur, aggratiationem potius habendam esse, expressis verbis docerent, altera illa sententia sine dubio numquam exstitisset; is enim error tum animos non facile subire poterat. Itaque certam legem non exstare, in qua abolitio paschalis aggratiationibus adnumeretur, jam statim ab initio concedendum est. Compilationi Justinianeae vero singuli loci subesse videntur, quibus sententia nostra comprobetur, maxime quum reputemus, ex singulis compilationis Justinianeae et Codicis Theodosiani legibus inter se collatis quidnam concludere liceat.

Fontes igitur diligenter perscrutati, quid ex iis ea de re appareat, sine ira et studio nunc exponamus.

Ac primum quidem non silentio praetermittendum esse videtur, quod numquam, quum de dimissione paschali agatur, — quod attinet ad corpus juris Justinianeum, igitur in L. 3 Cod. de episc. aud., — de accusatione denuo instituenda, quando et quomodo instituatur, intra quodnam spatium liberatum denuo accusare liceat et quae sunt similia, ullo modo verba fiunt [a]. Accusatio denuo instituenda vero cum abolitione sensu Romano tam arcte connexa est, ut neutra ab altera sejungi posse videatur [b], et revera iis locis, qui de abolitionibus publicis agunt, accusatio quomodo et quando denuo instituenda sit, diligenter exponitur [c], in dimissione paschali autem nihil omnino de ea habemus. Quod quum reputemus, ex eo silentio, quod in abolitione fieri non poterat, dubitatio oritur, altera ea accusatio num paschali illa aggratiatione omnino contineatur sive propter festum paschale dimissos reos num denuo accusare licuerit, id est ea dimissione an non gratia potius reis contigerit.

Tum vero hoc quoque accedit, quod et in Codice Theodosiano et in Justinianeo iis locis, quibus de gratia paschali agitur, permulti enumerantur, quibus illa non contingat, et multo plures quidem eximuntur, quam iis locis, qui de abolitionibus publicis agunt [d]. Jam vero inde sequitur, dimissione paschali majus quoddam reis contigisse, quam abolitionibus publicis, qua de causa paucis tantummodo illa concedebatur, quorum numerus arctissimis finibus circumscribendus erat. Sin autem ei

---

a) cf. paragrapho VI (p. 13) quae exposita sunt.

b) cf. quae antea paragrapho III leguntur.

c) cf. ex gr. L. 2, 7, 10 §. 2. L. 12, 15 §. 6 Dig. ad S. C. Turp. 48, 16. L. 2 §. Dig. de cust. reor. 48, 3. L. 11 §. 2 Dig. de accus. et inscript. 48, 2.

d) Cf. locos, qui et de dimissione paschali et de abolitionibus generalibus afferuntur.

sententiae opponitur, propterea potissimum quod utrumque locorum genus ad generales abolitiones spectet, in altero quae legantur de altero simul valere; longum enim fuisse jam semel exposita denuo addere, forte autem factum esse, ut in altero locorum genere semper exceptiones enumerarentur: primum quaeritur, exceptiones illae, quae in dimissione paschali enumerantur, num revera de aliis abolitionibus omnibus simul valeant, cujus opinionis argumenta desiderantur. Deinde vero etiam dubium est, ne dicam temerarium, discrimen tale, quod sine ulla exceptione inter duo legum genera positum est, fortuito ortum habere. Ad frequentiam enim dimissionis paschalis provocare, propter quam in ea potissimum singula exponantur, ea de causa non licet, quod abolitiones publicae quoque, uti supra vidimus, saepissime reis contigerunt et quod de indulgentia paschali paucissimae tantum leges agunt, quod ex prioribus non minus apparet, de abolitionibus publicis autem permultae exstant, ita ut nemo facile intelligat, Justiniani Codicis unico illo loco potissimum, — L. 3 Cod. de ep. aud., — qui ad abolitionem paschalem pertinet, curnam singulae exceptiones enumerentur, multis contra locis iis, qui de abolitionibus publicis agunt, curnam nihil de iis legatur. Neque praetermittenda erit L. 9 Cod. de calumn. IX, 46, qua opinio nostra aliquid fulciri videtur [e]). Eo enim loco indulgentia et abolitio expressis verbis sibi opponuntur, unde *Herrmannus* [f]) pariter atque ceteri scriptores [g]) illis vocibus diversum sensum subesse recte concludunt. Aliis quidem locis fieri poterat, ut indulgentiae verbum abolitionis locum obtineret et scriptores utraque voce promiscue uterentur; lege autem illa quum alteri altera expressis verbis opponatur, verisimile non est, legislatores utramque vocem postea miscuisse, neque prius illud suspicari licet, quam testimoniis e Codice ipso allatis rem ita se habere comprobatur, quod hucusque nondum factum est [h]). Indulgentiae igitur vocem quamdiu abolitionis sensu in Codice

---

e) Ea ad verbum ex Cod. Theodosiano (L. 3 de abol. IX, 37) sumta hisce verbis conscripta est: »Falliciter incusantibus, maxime post exhibitionem accusati, nullius juris color, veluti derivata excusatione, proficiat; non publica abolitio, non privata, talibus sufficiat subveniatque personis; non specialis idulgentia, ne beneficium quidem generale eos subducat.« Quod eo loco indulgentiae verbum non bis legitur, sed secundo loco beneficium habemus, non est, cur miremur; illud enim sonus sive elegantiae gratia factum est, quod *Herrmannus* quoque, l. c. p. 64 non negat.

f) l. c. p. 64.

g) Cf. *Plochmann*, l. c. p. 64.

h) Indulgentiam non semper aggratiationem sensu angustiori, sed interdum favorem sive clementiam sensu latissimo significare, ipsi nos antea professi sumus, cf. §. V. Neque vero ea, quae nunc exposuimus, propterea refelluntur; indulgentiae vox enim, quum interdum clementiae vim sensu latissimo naneiscatur, nullo loco ei opponitur.

exstare testimoniis allatis non comprobatur, lege illa 9 Cod. de calumn. IX, 46 opinio nostra, qua dimissionem reorum illam paschalem indulgentiam neque abolitionem sensu Romano fuisse censemus, defenditur.

Quibus expositis quum res nondum satis absolvi videatur sive dubitatio relinquatur, num recte ita statuamus, ad legem illam 3 Cod. de episc. aud. 1, 4 denuo provocare liceat, quae, quum recte eam interpretemur, lucis aliquid affert et ita quidem, ut nostra sententia ea comprobetur. Ea enim in lege uberius conscripta, quae sola exstat in corp. jur. Justinianeo de gratia paschali, »abolitio« et »abolere« verba ne semel quidem leguntur, »indulgere« contra, »venia«, »impunitas admissi«. »absolvere«, »metu poenae excipere« verba et quae sunt similia frequenter obviam fiunt [i]. Legislator igitur quum iis verbis et quidem iis solis utatur, abolitionis vocem autem rejiciat et diligenter fugiat, quae quum usitatissima [k], tum aptissima, quin imo sola apta est ad significandam abolitionem, ubi eam omnino significare voluit: non est, cur dubitemus, quin legislator abolitionis vocem consulto fugerit, quod lex illa indulgentiam, i. e. aggratiationem neque abolitionem spectat eamque nos ita interpretari ille vult. Veniam contra scripsit, quod de ea agit ad eamque et ad indulgentiam sensu arctiore tota ea lex spectat neque ad abolitionem, unde apparet, dimissione illa paschali non abolitionem, sed gratiam reis contigisse.

Idem ex eo sequitur, quod ii, quibus indulgentia sive favor ille contingat, »damnati« vocantur [l]. Multum enim discriminis positum est inter reos atque damnatos. Illorum sententia nondum lata est, quin imo fieri potest, ut innoxii ex carcere dimittantur. Propterea igitur nonnulli saltem eorum, ad quos lex pertinet, necessario condemnati erant [m]; tunc ceteros, quorum sententia nondum lata erat, simul spectat, quo nihil offendimur. Condemnatis vero non abolitio sensu Romano, sed vera aggratiatio conceditur; eam igitur lex illa largitur, quum de damnatis agat.

---

i) Idem observatur in Tit. Cod. Theod. de indulg. crim. Cf. paragrapho IV, quae ea de re exponuntur.

k) Cf. locos de abolitione Romana citatos.

l) L. 3 Cod. de episc. aud.: »His ergo — damnatis indultum nostrae serenitatis — concludimus.« Sumta est ex L. 6 Cod. Theod. de indulg. crim.

m) Etiam condemnatis igitur gratiam paschalem contigisse, ex eo loco sequitur, qua de re leges praeterea nihil docent. Cf. *Sam. Petitum,* Commentatio ad leges Atticas, Lugduni Batavorum, 1741, p. 109. Ceterum ad nostram opinionem de gratia paschali comprobandam nihil facit, num damnatis revera concessa fuerit; namque abolitio, quae apud nos nunc viget, reis ante sententiam latam concessa abolitionem sensu Romano excludit.

Iis igitur argumentis ex fontibus ipsis sumtis nobis persuasum est, dimissionem paschalem aggratiationi adnumerandam esse, revera de singulis illis quum dubitatio oriri possit, opinio nostra, num iis satis comprobetur, inter se tam arcte connexa sunt et tantopere invicem se excipiunt atque juvant, ut conjunctis illis res absolvi videatur. Accedunt praeterea nonnulla non ex legibus, quae de gratia paschali ipsa sive de abolitione generali agunt, sed aliunde sumta, quae nunc addere liceat.

§. VIII.

Alia argumenta exponuntur.

Sacris christianis susceptis imperatores Romani posteriores eodem studio, ne dicam ardore religionem christianam professi atque amplexi sunt, quo priores eam obtrectabant Christianosque crudelissime vexabant [a]). Pro eo, quo esse solent proselytae studio, illi quoque quid nunc sentirent, et veritatis christianae studium quantum ipsos teneret, coram populo pariter atque coram Deo, quem fide se amplecti nunc profitebantur, re quoque atque factis quam luculentissime comprobare studebant. Quod quum ex ceteris eorum jussibus omnibus, tum ex iis maxime apparet, quae religionem christianam, quoad cultum sive sacra spectant, et in iis imperatoribus maxime cognoscitur, qui fidem christianam primi professi sunt, id est in Constantino M. ejusque successoribus, quorum ex numero Valentiani I et II, qui leges de dimissione paschali conscripserunt [b]). Quae quum ita sint, imperatores facile intelligimus indulgentia paschali quoque id egisse, ut festum paschale quam luculentissime prosequerentur. Summa igitur atque singulari clementia utebantur, qua festum pie celebrarent pietatemque publice oftenderent [c]). Abolitiones generales vero saepissime et levissimis de causis antea concessae a festi illius sanctitate tam alienae potius habebantur, ut iis non satis celebrari videretur; imperatores igitur ut summi ejus festi sanctitatem penitus cognovisse se demonstrarent, singularem indulgentiam, abolitiones illas generales multum superantem, ejus festi gratia reis largiti sunt. Sin autem quaerimus, quanam ratione potissimum indulgentia ea priores abolitiones superaverit, nihil relinquitur, praeter hoc: reos ea concessa non solum ea conditione ex carceribus dimissos esse,

---

a) Cf. *Berner.*, Lehr-Buch des Straf-Rechts, p. 543 sq.

b) Cf. supra §. IV.

c) »— quem« (diem Paschae) »intimo corde celebramus«, L. 3 Cod. Theod. de indulg. crim. »Paschae celebritas postulat,« L. 4 eod. »Summa quies,« »gaudium commune« L. 8. eod. cet.

ut postea denuo eos accussare liceret, sed accusatione in sempiternum oppressa gratiam iis contigisse. Contra quum singulare quiddam ei gratiae subesse propterea negetur, quod graviorum delictorum accusati omnes de ea eximuntur, quod ipsi nos antea exposuimus, ei dubitationi nihil concedendum est. Ea enim gratia quum omnibus reis promiscue contigisset, legum auctoritas et sanctitas, quod supra vidimus, violata et summum discrimen reipublicae necessario allatum esset, qua de causa fieri non poterat, ut remotis illis exceptionibus imperatores plura largirentur.

Denique hoc non praetermittendum videtur, quod apud Judaeos quoque pariter atque apud Romanos festo paschali reus a provinciae praeside e carcere liberabatur [d]), quae dimissio non abolitio sensu Romano, sed vera aggratiatio habenda est. Evangelistae quidem Barrabae a Pontio Pilato veram aggratiationem concessam esse non expressis verbis narrant, res ipsa tamen aggratiationem poscit [e]). Namque Barrabas quum caedis et seditionis accusatus esset, non facile eo consilio ex carcere dimitti poterat, ut postea denuo accusaretur, quippe qui poenam sine dubio subterfugisset. Paschalis igitur dimissio reorum, quae apud Judaeos vigebat, vera gratia habenda est ideoque sententiam nostram de Romanorum indulgentia paschali ex analogia, uti ajunt, aliquid comprobat; quae quantum illi respondeat, ex eo apparet, quod *Gothofredus* [f]) Romanam illam ex Judaeorum gratia paschali originem sumsisse ait, cui quum assentiamus, gravius etiam argumentum habemus, quo opinio nostra defenditur [g]).

§. IX.

Conclusio.

Abolitionem paschalem igitur, quae vocatur, abolitionem sensu Romanorum non esse, jam satis constat, quippe qua non solum coepta accusatio finiatur, sed quaestio

---

d) Cf. Ev. Matth. VII, 15 seqq.; Ev. Marci XV, 6 seqq.; Ev. Lucae XXIII, 17 seqq.; Ev. Jo. XVIII, 39.

e) Cf. exempli gratia *H. Ch. Stryk.*, de abolitione principis, Halae, 1695, p. 10, qui aggratiationem impetrasse Barrabam expressis verbis ait.

f) Cf. Commentar. ad L. 3 Cod. Theod. de indulg. crim. (p. 297 ed. laud.).

g) Apud Graecos quoque festis publicis, maxime in Panathenaeis, reos ex carcere liberatos esse, satis constat. Eo tamen provocare propterea non licet, quod dimissiones illae reorum cum festo christiano Paschae nihilo continentur. Ceterum abolitionibus generalibus respondere videntur et quidem iis, quos liberae reipublicae tempore Romae factas esse supra vidimus. Cf. supra §. III; *Sam. Petitum,* Comment. ad leg. Att. p. 108, 109.

in sempiternum opprimatur, ita ut reis vera gratia contingat. Vera aggratiatio igitur habenda est eique, quae apud nos nunc fit, omnino respondet. Est enim gratia sensu hodierno et quidem amnestia, uti ajunt, qua ante aut post aut partim ante, partim post sententiam latam complures rei simul aggratiationem impetrant[a]), qua de causa fieri potest, ut et condemnatis et nondum condemnatis illa concedatur. Quae si recte disputata sunt, inde necessario sequitur, non abolitionis, sed gratiae, et quidem amnestiae nomen dimissioni illi reorum tribuendum esse. Nomine autem quum factum sit, ut per satis longum temporis spatium errores de abolitionis Romanae natura animos tenerent, e communi nostra re erit, novos errores eo propulsare, ut ei dimissioni quoque rectum nomen tribuamus, id est nomen

amnestiae paschalis.

---

a) Cf. libellum meum, p. 211 seqq.

Typis Breitkopfii et Härtelii.